

DE ORIGINE ET NATURA DUARUM POTESTATUM: CIVILIS ET ECCLESIASTICAE

IAM cum prima luce historiae civicae errores erant circa originem et naturam supremae potestatis tum civilis, tum religiosae; qui errores etiam temporibus nostris adhuc persistunt, immo et innovantur.

Adest imprimis error deificationis et cultus Status. Etenim, sensus intimus religionis homines urget ad invocandum Ens, quod, cum omnibus superius et fortius sit, eos adiuvari, protegere ac valeat defendere.¹ Et cum Status haec omnia saepe saepius revera praestat, homines credere incipiunt eum esse arcanum, immensum et omnipotentem, ideoque absolute supremum; ita ut, iuxta Sabatier, considerari potuerit ut nova ecclesia².

E contra, iuxta Dewey, Status nihil aliud est quam associatio hominum in unum ad consequendos quosdam fines, inter quos primum locum tenet administratio iustitiae,³ quod creationem importat legis et ordinem loco anarchiae. Nil ergo mysticum et arcanum in origine Status, nil cultus dignum in eius natura. Quod si Status supremus sit, ista suprema potestas non obtinetur nisi intra ipsum Statum et nullo modo extra.⁴

Alii vero, notiones Status et Gubernii confundentes, in alterum extremum incidunt, affirmantes Statum esse inter omnia instituta pessimum.

Iuxta quosdam horum, Gubernium naturae sociali hominis favet, hominisque iura tuetur. Sed Status, origine, natura et intentione, antisocialis est. Status oritur e notione negante hominem individuum habere vel exercere posse aliquod ius, et ideo facile ad usum teli recurrit; notio Gubernii, vero, importat restrictionem in usu armorum.

Nonnulli Statum in Personam, ipsas personas eam efformantes transcendentem, constituunt. Hic, Unitas regit pluralitatem. Hic pluralitas ab Unitate oritur et ad Unitatem revertitur. Unitas radix est omnium et vitae civicae. Hic cardo est totius rei politicae mundi Medii aevi. Status est huius Unitatis significatio; eumque oportet esse unum et in-

¹ EVERETT, D.M., *The Religion of the State*, New York, 1931, p. 34.

² Ibid.

³ DEWEY, J., *Discovery of the State*, Holt, 1927, p. 3.

⁴ MOUSLEY, E., *The Delusion of illimitable Sovereignty*, London, 1939, p. 123.

divisibilem et quidem, et consequenter, unum ubicumque terrarum. Theorema hoc laudabile videtur, sed quando de usu agitur, verum aliter longe est. Bonum enim vix unquam a Statu, uno et indivisibili, patratur; bene vero a Statu aliqua sectione.

Fuit etiam qui in Statu novam vidit nascentem ecclesiam. Illa enim vetusta Ecclesia ortu humillima fuit, eiusque prima saecula fecunda secretorum conciliorum necnon contra Rempublicam machinationum. Ecclesia novum ordinem, novam felicitatem promittens, tanto numerosior evadebat quanto Respublica debilior fiebat. Fame, taedio, morbo et omni infelicitate laborantes et plebitate ad Ecclesiam, tenerrimam se nominantem matrem universalem, confugiebant. Mox, fracto et demisso animo, Respublica cum Ecclesia pacta est, et Episcopus Romanus titulum ipsius Caesaris, 'Pontificem Maximum' scilicet, usurpavit. Tandem, conversione victorum Gothorum Christianitati, Ecclesia in verum et firmum Statum constituta est.

Certe hoc valde falsum est, cum, inter alias, divinum exordium Ecclesiae in nihilum redigat.

Omni tempore idolorum veteris cultus, et speciatim Romanae Dominationis, tum Societas, tum Gubernium, regebatur principio indivisibilitatis Status ac Religionis. Res politica et res sacra una eademque erant.⁵ Civitate donari idem erat ac inter civitatis idolorum cultores adnumerari.⁶ Hoc principium Christiana Religio curabat ut frangeret, hocque ipsi Ecclesiae bella et persecutiones significabat; nam, patria idola non colere, vel aliena colere, aequale erat perduellioni.⁷

E primis actis contra Christianos eruitur Rempublicam eosdem etiam supplicio punire utpote qui auctoritatem Imperatorum despicerent; nam, docebat Ecclesia hominem habere animam spiritualem nec quidem Imperatori subiectam. Sed cum auctoritas Romana certior facta fuerat Christianos sequi principia, non tantum mere theologica, sed etiam politica et socialia Reipublicae principiis contraria, tum totus furentis persecutionis impetus non in Christianos dirigebatur individuos, sed in eorum Ecclesiam ut sic.

Tandem, anno salutis 313, Mediolanense Edicto, illud 'non licet esse christianos'⁸ abrogavit Constantinus. Non tantum Christianis, sed omni-

⁵ CICERO, *De Legibus*, II, 8.

⁶ FUSTEL de Coulanges, *The Ancient City*, Boston, 1901, p. 265.

⁷ Ibid. p. 267.

⁸ BOISSIER, G., *La lettre de Pline au sujet des Chrétiens*, Revue Archéologique 1876, p. 114.

bus tali proclamatione fuit concessum colere quamlibet deitatem.⁹ Sic primum in historia civica proditum est memoriae civem non teneri se cultu conformare ad voluntatem Principis seu Gubernii.

Relationes inter Ecclesiam et Statum magis ac magis proficiebant. Princeps summa rerum potestate 'gratia Dei' fruebatur. Ecclesia docebat subditos oboedire debere Principi. Et sic doctrina, quae tenebat Gubernium esse divinum institutione, initium capiebat. Putabatur enim, Gubernium datum esse hominibus in remedium peccati; et primatum tenentem ipsius Dei legatum esse, et nomine Dei ipsi oboediendum; auctoritatem Regis a Deo directe provenire, et Regem soli Deo rationem redditurum esse.¹⁰

Haec doctrina satis definitam formam invenit in theoremate de 'Iure Divino'. Ita, verbi gratia, Theophilus Antiochenus, licet cultum personae regalis condemnaverit, dicebat tamen potestatem administrandi Regi transmissum esse a Deo.¹¹ Item Irenaeus aiebat Deum hominibus dare Reges in remedium peccatorum vel punitionem.¹² Et Sanctus Gregorius Magnus, contra eos qui a populo affirmabant, potestatem Regis tenebat a Deo directe derivari.¹³

Alii vero aliter sentiebant. Sic Hosius Cordubensis Constantium monuit ne in rebus ecclesiasticis se, utpote ius non habentem, interponeret.¹⁴ Itemque fecit Lucifer Caralitanus.¹⁵

Sed res multis nondum clara erat. Et ipse S. Ambrosius, qui Theodosio ad Eucharistiae celebrationem accedenti aditum praeclusit,¹⁶ credebatur Imperatorem recipere potestatem a Deo. Et Sanctus Optatus, quod Respublica non erat in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica, id est, in Imperio Romano, tenebat Imperatorem esse supra Ecclesiam.¹⁷

Istis in adiunctis, Romani Imperatores non dubitabant se administrationi ecclesiasticae interponere. Nam, ipsis adhuc valde difficile erat notionem supremam potestatis cum notione libertatis Ecclesiae pacifice copulare.

Sed conditio Sanctae Ecclesiae longe peior erat Byzantii quam Romae.

⁹ EUSEBIUS, *Ecclesiastical History*, Bk. X, Chap. V.

¹⁰ AMBROSE ST., *Ep. xxxvi*, 8; AUSTIN ST., *De Civitate Dei*, xix, 15.

¹¹ THEOPHILUS Antioch., *Ad Autolyicum*, i. 11.

¹² IRENAEUS ST., *Adv. Haer.*, v. 24.

¹³ GREGORY the Great St., *Libri Moralium* in Job. xxv, 16.

¹⁴ HOSIUS of Cordova, letter quoted in St. Athanasius, *Historia Arianorum*, 44.

¹⁵ LUCIFER of Cagliari, *Pro Sancto Athanasio*, i.

¹⁶ AMBROSE ST., *Ep. ii*, 13.

¹⁷ OPTATUS of Milevis St., *De Schisma Donatistarum*, iii, 3.

Illic, enim, Imperatores sibi ius usurpabant Patriarchas et Episcopos elegendi et deponendi, necnon haereticos contra decreta Conciliorum protegendum. Ecclesia, licet non vexata sanguinea persecutione, tamen in servitute redacta fuit. Hic, vero, Ecclesia suum ius valide defendebat speciatim contra Zenonem Imperatorem, qui ut ipsi 'Honoticon' imponeret omnia tentavit, eiusque successorem Anastasium, cui Summus Pontifex Gelasius haec scripsit:

'Fuerint haec ante adventum Christi, ut quidem figuraliter, adhuc tamen in carnalibus actionibus constituti, pariter reges existerent et pariter sacerdotes, quod sanctum Melchisedech fuisse sacra prodiit historia. Quod in suis quoque diabolus imitatus est, utpote qui semper quae divino cultu convenirent sibi tyrannico spiritu vindicare contendit, ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed quum ad verum ventum est eundem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator pontificis nomen imposuit nec pontifex regale fastigium vindicavit; quoniam Christus memor fragilitatis humanae, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magna temperavit, sic actionibus propriis dignitatibusque distinctis officia potestates utriusque discrevit, suos volens medicinali humilitate salvari, non humana superbia rursus intercipi: ut et Christiani Imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus pro temporalium uterentur...: Duo quippe sunt, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem... Et si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et Divinitas summa voluit praeeminere'.¹⁸

Notio duarum potestatum, religiosa una, civilis altera, non erat nova in Ecclesia occidentali. Hic, Gelasius nihil aliud fecit quam scriptis formavit principia quibus iam a tempore Constantini Summi Pontifices regebantur.

Carolus Magnus, aetate Romano-Teutonica incepta, accepit hanc doctrinam, sed iuxta Imbart, et ipse seipsum fecit Ecclesiae caput.¹⁹ Tamen, dum Ecclesia potestatis civilis protectionem invocat, propriam

¹⁸ GELASIUS I, *Tractatus iv*, 11 Ep., xii, 2.

¹⁹ IMBART de la Tour, *Les élections épiscopales dans l'Eglise de France du IX au XII siècle*, Paris, 1890, p. 98.

praestantiam in spiritualibus proclamabat.²⁰ Sed cum societas tota Christiana evasisset, ac practice idem valuisset ac ipsa Ecclesia, linea separationis inter duas auctoritates evanuit, ita ut Caroli Magni successores ius ambirent Concilia Oecumenica etiam, convocandi et regendi. Praeterea, ipsi Imperatores, magis ut Rempublicam consolidarent, etiam in rebus mere spiritualibus delinquentes severe puniebant. Hoc speciatim dicendum est de Othone I, qui tamen laudandus est utpote qui laboravit ad dignos clericos promovendos loco indignorum. Sed et iste, quo melius Statum regeret vel forsitan ambitioni personali faveret, retinere cupiebat sibi ius etiam ad suprema officia in Ecclesia gratos promovendi.²¹

Haec omnia viam paraverunt vicissitudinibus quae, saeculo undecimo, Ecclesiam agitabant, speciatim 'Conflictu Domini'.

P. ODORICUS DE'MARIA, O.F.M. CAP.

²⁰ FLACH, J., *Les origines de l'ancienne France*, Paris, 1886-1904, vol. III, p. 438.

²¹ M.G.H., SS. III, *De Rebus Ottonis*, Luidprand, Bp. of Cremona, p. 345.